Podgurski Samuelis Joannis: Accrementum nominis magni in decremento vitae.

ACCREMENTUM NOMINIS MAGNI, IN DECREMENTO VITÆ,

Perillustris olim, Clarissimi, & Admodum Reverendi Domini,

D. M. JOSEPHI WISNIOWSKI,

Collegæ Maioris, S. Th: Baccalaurei, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Florentiæ ad Cracoviam CANONICI, Contubernij Laurentiani Provisoris, Viri de Universitate Studij Generalis Cracoviensis meritissimi,

DUM EI,

Justa Funebralia, in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ, Magno omnium dolore persolverentur,

A

M. SAMUELE JOANNE PODGURSKI,

Philosophiæ Doct: & Professore, Collega Majore Vocato, S. ADALBERTI *Præposito, in Ecclesia Archipresbyterali B. M. V. in Circulo Crac: Pœnitentiario Radyminsciano, S. R. M. Secretario.*

Dolenti Pennâ,

DELINEATUM,

ac in memoriam Tanti Viri

DEMONSTRATUM.

Anno Domini, 1703. 15. Maj.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS.

ACCREMENTUM
NOMINIS MAGNI,
in decremento Vitæ.

JNcrementa mortalis vitæ, decrementa esse,
non ex folio Sybillæ, sed experimento didicimus.
Ingentia annorum spatia,
suos Nestores citiùs ad fata ducunt.
Nec ocyùs properatur ad lethum,
quàm dum matura ætas, tardo cucurrerit pede.
Nempe ex eodem ubere vitam & mortem sugentes,
crescimus, ut decrescamus,
Ectypum Lunæ gerimus,
quæ quo magis impletur, magis à fonte lucis recedit:
& quæ niveum dat vila decorem hodie,
cras sub inimica nube squallet.
Adeò & nostræ luci
nocet interpositio Vmbræ terrestris.
Cæterùm, licet *vita summa brevis, spem nos vetet inchoare longam;*
ingentes tamen annos, virtutis impetus spondet.
Hæc ævo coæva,
decrescente ætate, crescit in immensum.
Divinum enim hoc germen, marcere nescium,
perpetuum sortitur Majum:
quia radices fixit in Terra viventium.
Arbor Vitæ est,
quæ mortalibus succum immortalitatis propinat,
Eius fructu saginatæ ingentes ánimæ,
toxica Libitinæ rident.
Gemat sanè sub sua Enceladus Ætna,
& magnitudine sua parvitatem monstret;
Viri tamen Sapientes, tunc magni esse incipiunt,
quando minuuntur.
Illi sunt velut prostratæ turres,
maiores apparent, quàm stetêre.
Ita certè Spatiosum Virtutis Nomen est,

ut à

ut à sola æternitate queat mensurari.
Magnitudo Nominis in bono Viro, tunc extenditur,
quando angustijs premitur Parcarum.
Tale Ethymon, ingentibus meritis auctum,
rorido vultu spectat Academica Niobe
in Perillustri olim, Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,
M. IOSEPHO WISNIOWSKI,
Sac: Theol: Baccalaureo, Collega Maiore, Ecclesiæ
S. FLORIANI Canonico, &c.
Natale illi solum Vrbium Sarmatiæ Regina Cracoviá,
ut Princeps locus ad magna Natum demonstrâsset.
Quippe & Patria, ad Virtutes non levis stimulus est.
Novimus aliquos gloriatos fuisse,
quòd Romæ vel Athenis nati essent.
Sanctior Tethys Ecclesia, hunc Achillem suum,
ut telis Paridis infernalis invulnerabilis esset;
ablutum non Stygijs sed lustralibus undis,
Sacræ Berecynthiæ Vniversitati Cracoviensi educandum tradidit.
Hîc verò quid accrescenti Filio IOSEPHO oggannis Socordia?
ignavorum Numen Vacunam,
nulla Victimâ placavit Noster Theopompus.
Superos olim Consilium egisse in aurora gnarus,
Levcothöèn Sapientiæ Nuntiam colebat.
Alij Poëticas fabulas elato supercilio temnentes,
in Orbis fabulam abiêre:
Ille sub cortina hac magnas veritates indagavit.
Philosophia gentium hoc involucro velata,
per illum in apricum egressa,
maximam veri partem aperuit.
Suadæ cultioris copiam exasse complexus,
cùm omnes tropos apprimè cognoverit,
solam Metaphoram in moribus nunquam præsetulit.
Veri Sapientis utrobiquè Vestigia secutus,
factis dicta probavit.
In Philosophia, ipse apodicticum argumentum fuit,
in modo directo omnigenæ Virtutis.
Natura illi principium Motûs & Quietis,

 illius

illius in labore, huius in DEO.
Imò Eum ipsum dixisses Ens abstractissimũ fuisse ab omni materia,
qui materiam, appetentem plurimas vanitatum formas, abhorruit.
In affectibus didicit Monarchicum Imperium,
nullam politiem meliorem arbitratus,
quàm dum omnes passiones Reginæ animæ obedirent.
Hinc etiam Ethycum nosce,
cui actio Virtutis pro scopo fuit.
Porrò omnis illi in Moribus Comitas,
Comites Laureas adsciuit.
Vtrâque ergo Laureâ redimitus,
quia Divinarum humanarumq; rerum notitiam benè investigavit.
Inter Collegas Minores, tandem Majores cooptatus,
quorum iam antea Collega fuit Virtute & Doctrinâ.
Verùm audi Calame Cælestem Vraniam!
non IOSEPHVM in Ægypto degere censueris,
qui Terram promissionis tot scriptis delineavit.
Certè ille in terris cælestis homo,
ut se omnibus numeris absolutum demonstraret,
etiam Motus Cælorum ad Numeros revocabat.
Defecisse iam visi fuerant nostri Atlantes improbo livori,
quibus fata Cælum diutiùs portare negaverant;
at, ut suffectos vidit geminos Alcidas,
Polinodiam cecinit.
Horum unus Sequacium copiâ stipatus,
adhuc Harmoniam Cælestem theoricè auscultat:
alter, quem Musæ lugent, ex suis Ephemeridibus, annos æternos
& Prognostycon salutis meretur.
Cyrrham ne fatiges ô Geni!
WISNIOVIUS Lechicus Archimedes fuit,
Cælum non in crystallo, sed in mente purissima fabricavit.
Optimus Geometra,
qui se pede metiri suo quemlibet docuit.
Nempe facilius est, etiam latissimis ingenijs,
ingentia metiri spatia, quàm suas angustias.
Attende Geni.
Accretionem Magni Nominis specta purpuratam,
Decanale Ostrum.

in ru-

in Rubicone sudorum purpuravit IOSEPHVS;
ut ipsa oppugnantium discordia expallesceret.
Profitentium labores, suis laboribus signavit.
Ex eo Facultatis Princeps;
quòd omnes jugi lucubratione anteiret.
Hîc iam Divinior Pallas Theosophia,
maturum ad Laureas Theologicas IOSEPHVM,
quid ex humanis cessisse mirarıs?
Olim Philosophicum, postea Moralem & Sacramentalem Cursus
consumando,
Coronam justitiæ in Cælo prensare maluerat.
ex diminutione hac, crescere Eum oportuerat.
Dulce sit alijs intelligentibus phantasmata speculari,
ille ad intima Maiestatis admitti anhelavit,
quia IOSEPHVS.
Angelici Doctoris Sententiam amplexus,
ut quid ampliùs inter homines morari debuerat?
Cui Patria dulcis est, odit exilium:
tum se credens crescere, cùm mundo decrevisset.
In Majo translata est arbor fructuosa,
quidni eam susceperit Agricola cælestis?
cui semper protulit in pauperes grossos suos.
Ossa IOSEPHI,
cùm in terram promisionis hic & nunc transferri non potuissent,
saltim animam transportari curavit pietas.
Non integrum tamen exinde abijsse credideris:
Stat Magni Nominis Vmbra in meritis;
assurgunt Colosi Virtutum.
Laurentianum Contubernium,
Eius Curâ ex ruinis accrescens,
eum, suorum Provisorum Phænicem prædicat.
Ita Laureatum Nomen Fundatoris pientisimi,
Iosepho cultore refloruit.
Ipse Divinus Heros FLORIANUS,
an non Majum accidentalis sui honoris in illo sortitus est?
ne Legioni suæ Nervus belli & Annona deficerent,
industria Iosephi operata est.

Trophæa illius Sacra in maiori Altari,
ex ligneis fecit deaurata.
Candorem erga Patronum ut demonstraret,
totam Ecclesiam reddidit Candidam.
Summa Divinorum cura, quid amplius de IOSEPHO loqui potest?
quàm sui Nominis Anagramma: Oh Pius es!
Labores Viri immensos,
ne Hercules quidem superaverit:
Monstra ille edomuit,
sed quid monstro affectuum horribilius?
rarus est, qui istam Lærnam triumphet,
triumphavit WISNIOVIVS.
Vnicum in ipso Vitium Mundus suspexit,
quòd omne Vitium odisset.
Veritatis Vindex acerrimus,
etiam ægerrimos animos ipsius cauterio sanabat.
Otij iuratus Hostis,
etiam moriturus Lectionem Scripsit,
ne Libitina otiosum deprehenderet.
Sacramenta, Salutis humanæ instrumenta,
exactissimus illorum Professor, ita explicuit;
ut nullum Mysterium reliquisset.
Cum ægritudine non diu luctatus est,
quia amor impatiens moræ fuit.
Quis enim Iosepho in Mundi Ægypto
diutiùs manere persuasisset?
Augmentari voluit pius animus,
qui hactenus luteo vase premebatur.
Maneant hìc imbecilles animæ;
quas suus delectat carcer;
mens cœlo cognata, pennas columbæ petit ad volandum.
Intra Octavas S. STANISLAI abiit è vivis,
Vir perfectus ut Octo,
ut cum Stante laude, suo Pontifici assisteret Canonicus.
Exacto igitur Quinquaginta sex annorum,
meritorum maximo curriculo;
in Porta Æternitatis consistens Theologus Professor,
ubi lumina clausit, Tractatum de Visione inchoavit.

Tu


Tu Alma Virtutum & Scientiarum Magiſtra
Vniverſitas Cracovienſis,
tam difficili negotio ut Sacras ad aras præbeas adminiculum,
animus ultimæ felicitatis anhelus precatur.
Sed anticipas Vota ô Mater Pientiſsima!
Collega Tuus Maior,
ut in Collegio cæleſti Laureas quas meruerat, colligat;
laureatis inferijs ſuffragaris.
Hoc ipſo mæſtum ſolata Genium,
quòd non totus tibi per fata eripiatur.
Neſcia mori poſt funera Virtus,
in ſuis meritis, & cordibus Fratrum perennabit.
Nec luſtrales flammas hic metuet Anchiſes,
quem tot pij Æneæ, non in humeris, ſed pectoribus portant:
Imò cum omni tempore diligit, qui verè amicus eſt;
Paternus Fraternuſquè affectus veſter,
Magni Præſtites Ultimæ Voluntatis,
Perilluſtres, Clariſſimi, & Admodum Reverendi Domini,

D.M. PETRE PRACZLEWIC,
S. Th: Doctor & Profeſſor, Collega Maior, Eccleſiarũ Collegiatarum, S. FLORIANI Florentiæ ad Cracov: & Pilecen: Decane, Proſovicen: Præpoſite, Contubernii Hieroſolymitani, & Scholarum Novodvorſcianarum Proviſor, per Diœceſim Cracov: Librorum Cenſor.

D.M. MARTINE OSLINSKI,
S. Th: Baccalauree, eiuſdemq; ſuper Controverſiis Fidei Profeſſor, Collega Maior, ad S. Florianum Canonice, Petriciane Hiſtoriographe;

Quia tantis benevolentiæ vinculis Defuncti Animam ligat,
in æternam libertatem aſſerit.
Ipſa Remuneratrix bonorum Divina Providentia,
hæc ſolicitudinis Veſtræ argumenta,
copioſis felicitatis coronabit accrementis.

Porro, quòd fera pessima devóraverit Filium Accrescentem,
nullus lugeat Iacob;
seros ille reviviscet in Annos, in Regione Vivorum.
Otthodoxis mori, obdormire est;
quos Primitiæ dormientium CHRISTUS,
in æternam Vigiliam excitabit.
Et quia ex eius infiniti valoris meritis,
omnis nostra impletur inopia;
decrescenti IOSEPHO, fiat æternæ salutis
ACCREMENTVM.



Quotquot sunt artes, non est præstantior ulla,
Quàm bene felici, discere morte mori.

Permissu Magnifici Domini,
RECTORIS.

